

qui; & habet farcinulam: alias dabitur oportunitas ad satietatem usque garriendi.

Adolescentis, & Scorti.

LUCRETIA, * SOPHRONIUS.

Lu. **E**uge mi lepidissime Sophroni, tandem nobis redditus es? Nam mihi videris abfuisse seculum. Prima fronte vix te agnoscebam. *So.* Quam ob rem, mea Lucretia? *Lu.* Quia pro imberbi nobis redisti barbatulus. Quid rei est, meum corculum. Nam videre solito torvior. *So.* Cupio tecum seorsim colloqui familiarius. *Lu.* Au, au, non solæ sumus, mea mentula? *So.* Secedamus in locum secretiorem. *Lu.* Age concedamus in cubiculum interius si quid libet. *So.* Non dum hic locus mihi videtur satis secretus. *Lu.* Unde iste novus pudor? Est mihi * muscion, ubi repono mundum meum, locus adeo obscurus, ut vix ego te visura sim, aut tu me. *So.* Circumspice rimas omnes. *Lu.* Rima nulla est. *So.* Nullus est in propinquo, qui nos exaudiat? *Lu.* Ne musca quidem, mea lux. Quid cunctaris? *So.* Fallemus heic oculos Dei? *Lu.* Nequaquam: ille perspicit omnia. *So.* Et angelorum? *Lu.* Illorum oculos non licet effugere. *So.* Qui fit igitur ut non pudeat homines id facere coram oculis Dei ac testibus sanctis angelis, quod puderet facere, in conspectu hominum? *Lu.* Quid hoc novæ rei est? venisti huc concionaturus? indue cucullam Franciscanam, conscende suggestum, & audiamus te barbatule. *So.* Nec istud gravarer facere, si te

queam

Sophronius] *Continens, temperans.* Muscion] *Muscion pro secretiore cubiculo dictum est.*